Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICA.

## Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 4. Februarii.

M. MICHAELE DE HODENCQ, Doctore Medico, Præſide.

*An vitæ munia à Spiritibus?*

CORPORA præ cæteris apta pervadere, atque pervolare ad punctum temporis; hæc ipſa Medicis ſpiritus ſunt, ſuæ tenuitatis & pernicitatis ergo, ſtupendorum tot effectuum authores, qui à cælo ſummo ad imos uſque terræ receſſus obſervantur: His ſine vel ſublimiora non lucerent aſtra neque volverentur, ipſorumque ſuſpiciendorum voluptate nuſquam recrearetur homo, à quibus habent animalia, plantæ, foſſiliaque ipſa unde aſſiduè ſuſtententur; diverſis corporum quæ ſubeunt figuris ultro ſeſe ſpiritus accommodant: variis hinc functionibus ſufficiunt, quas perfectiſſimorum animalium vita multiplici ſenſu motuque promit. Hominis inſuper actiones mentis intelligentiâ plenæ apertiùs multò declarant, ab iiſdem ſpiritibus oriundæ, promovendæ, finiendæ.

OMNIUM & ſingularum ejuſmodi functionum opificem qui judicat animam, credit is profecto quod ratione difficulter convincere potuerit; qui facultates aſſignat quibus ad operandum anima comparetur, ſuppellectilem is redundantem curat; qui ſpiritus authores agnoſcit graviter, & acute Philoſophatur. Quod in machinis illud ipſum hîc adverte. Pneumaticis, aut Hydraulicis inſtrumentis inſtructas eas habeto? Aliud ab aquâ, & flatu nihil omnino quærito? Alterutriùs apparatu Machinatio torquebitur; inopiâ, hærebit immota. Spirituum quod ſufficit citò ad obeunda quotquot ſunt vitæ munera, impulſores habes; adornatis eleganter inſtrumentis efficietur haud dubie, quidquid unicuique viventium generi ſpeciei que neceſſarios ad uſus deſiderari potuerit.

QUODCUMQUE functionum exercetur in animalis corpore; hoc ipſum eo reducitur, ut vel quod utile eſt ingeri, vel quod inutile eſt noxiumve dimitti poſſit: eam ob rem quæ communis omnibus actio, quæ neceſſaria ſingulis, quæ omnibus voluntaria perfici debent, nullô interim aliô muneris præfectô quam ſpiritu; ille eſt qui ad opera omnia continenter attentus ſingula corporis loca ſtationeſque luſtrat, huc quæ profutura ſunt aſportaturus, ſemoturus inde quæ nocitura; it ipſe, reditque vias liberalem ſui copiam faciens, vel propriâ ſui ipſius jacturâ ſpretâ per eum unice ſarciendâ. Cæterum eam œconomiam inſtituit, ut cui plus deeſt, plus quoque ſuppeditet; cui opus meliore fuerit, melius quoque largiatur.

EXIMIUS iſte δημιουργὸς in functionum naturalium curam incumbens, primò quidem in ventriculum ſe plurimum effundit atque vicinas ipſi partes, fermentationis motu verſaturus alimenta; quæ cum chylus facta fuêre, verſus inteſtina flectit, communem cogit in ductum, ad cor inde cum ſanguine revertente commeatura; quod ſatis eſt, moram poſtquam ibi fecit, ſanguis ulteriorem ab opifice ſpiritu aſſequitur elaborationem, derivatur illico, ab eodem Machinatore deducendus quoquoverſum. Porrò quod in ſanguine puriſſimum eſt omne ad cerebrum rapi ſi putaveris, perperam judicas? Actiones mentis ſecretam revera poſtulant à reliqui ſanguinis commercio materiam, quæ nihilominus à communi ſpirituum impetu libera fuerit. Quidquod ciendo motibus Animali deſtinatos ſpiritus, tam exquiſitæ munditiei eſſe ſupervacaneum videtur.

VERUM quod ſingularem ſpirituum operam probat, generationis opus eſt. Commixta ſemina vix dum ſuſcepta fuerunt in uterum; vigilium continenter in muliebri corpore ſpirituum pars inſignis eò confertim advolat, iis auxilium præſtitura qui vel brevioris impatientes cunctationis admirabile corporis ædificium extruunt. Horum alii craſſioribus ſeminum particulis ſenſim atque leniter amotis, vallô, foſſâque cingunt, & muniunt alios, intimis atque gravioribus artificiis intentos. Mirari liceat, ita conſtitutum eſſe inter ipſorum ſingulos ordinem ut urgeatur quidem opus, nuſquam niſi rariùs, ab artificibus autem quantum in iis eſt nullatenus interrumpatur. Inde fit ut deſignata ſemel corporis forma progreſſu temporis à ſpiritibus excitetur, atque ad ſui deſcriptionem eleganter accommodata, iiſdem ab architectis regatur; qui ejus poſtea custodes futuri ſunt, cujus fuêre conſtitutores.

*Ergo Vitæ Munia à Spiritibus.*



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Claudius Biendiſant.* | *M. Claudius Guerin.* | *M. Claudius Germain.* |
| *M. Dominicus de Farcy.* | *M. Paulus Mattot.* | *M. Germanus Preaux.* |
| *M. Henricus Mahieu.* | *M. Carolus le Long.* | *M. Iacobus Renaut.* |

Proponebat Pariſiis MICHAEL PICHONNAT, Stampanus, Baccalaureus Medicus. A. R S. H. 1683.